

**A** apprehensi & oppressi muliebria patiuntur, nihil timeas, nihil cures, non expauescas, non horrescas, non contremiscas. Quis hæc vel illorum sceleratorum socius hospiti pio dicere auderet? Sed planè rectissime me diceretur, Age quicquid potes, ne fiat quod merito times. Sed non te timor iste compellat, ut facias quod in se filiæ tuæ fieri si voluerint, facient cum Sodomitæ te auctore nequitiam: si autem noluerint, patentur à Sodomitæ te auctore violentiam. Noli facere magnum scelus tuum, dum magis horrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum. Nisi forte pro defensione huius viri in eas le quispiam coarctet angustias, vt dicat, quonia accipere quam facere præstat iniuriam: hospites autem illi non erant utique facturi iniuriam, sed passuri, maluit vir iustus filias suas iniuriam pati quam hospites suos, eo iure quo filiarum dominus erat, & nouerat non eas peccare si id fieret, quia peccantes potius quibus non consentirent, sine peccato proprio sustinerent. Denique non seipsæ stuprandas quauis pro masculis feminas pro illis hospitiibus obtulerunt, ne reas eas faceret non perfessio libidinis alienæ, sed suæ consensio voluntatis. Nec

**B** pater earum hoc in se fieri permittebat, cum hoc facere conaretur quibus hospites non probebat, quauis minus mali esset quod in vno, quam si fieret in duobus. Sed quantum poterat resistebat, ne ipsum quoque vilius proprius macular et assensus, quem libidinofus furor etiã si præualuisset corporis viribus, tamen non consentientem non maculasset alienus. In filiabus autem non peccantibus nec ipse peccabat, quia non eas peccare si opprimeretur inuitæ, sed peccantes ferre faciebat: tanquam si ab improbis ut sui serui caderentur offerret, ne hospites eius paterentur cædis iniuriam. De qua re non disputabo, quia longum est, vtrum vel dominus iure suæ potestatis recte sic vtatur in seruo, ut seruum suum cædi faciat innocentem, ne amicus eius etiã ipse innocens, in domo eius à violentis improbis vapulet. Sed certe Dauid nullo modo recte dicitur iurare debuisse se esse facturum, quod postea cerneret se facere non debere. Vnde constat, quod non omnia quæ à sanctis vel iustis viris legitima facta, trãferre debemus in mores: sed etiã hinc discere quam late pateat, & ad quos vsque perueniat quod Apostolus ait, Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendes te ipsum ne & tu teneris. Præoccupatiões enim sunt iste in quibus delinquitur, dum quid faciendum sit aut ad horam non videtur, aut & qui viderit vincitur, ut scilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas.

Gal. 6.

**C** In omnibus actibus nostris maxime etiã bonos turbant compensatiua peccata, ita ut nec peccata existimantur si habeant tales causas propter quas fiant, & in quibus videatur peccari potius si non fiant. Et præcipue de mendacijs hoc in hominum opinione præualuit, ut peccata non putentur illa mendacia, quin immo & recte facta esse credantur, quando quis pro eius cui falli expedit utilitate mentitur: aut ne alius noceat qui nociturus videtur, nisi mendacijs euitetur. Ad hæc mendaciorum genera defendenda, plurima de scripturis sanctis suffragari putantur exèpla. Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quauis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum esse celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est dominus vbi ait, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Vera tacuit, non falsa locutus est, quibus veris audiendis eos minus idoneos iudicauit. Quod si eis hoc ipsum

De tropis scripturæ intelligendis. Cap. X.

Ioan. 16.

non indicasset, id est, non eos posse portare quæ diceret noluit, occultaret quidem nihilominus aliquid veritatis, sed posse hoc recte fieri forsitan nesciremus, aut non tanto firmaremur exemplo. Vnde qui assentunt aliquando esse mentiendum, non conuenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quæ sororem suam dixit: Non enim dixit, non est vxor mea: sed dixit soror mea est: quod erat reuera tam propria qua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod & postea iã sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmauit, respondens illi & dicens, Est vere soror mea de patre, non de matre: hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit vxorem, dixit sororem. Hoc & si huius eius fecit Isaac. Nam & ipsum nouimus propinquam suam coniugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promittitur falsum. Iacob autem quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiã parabolæ ac figuræ significandarum quarumcunque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicuntur esse mendacia. Quod ablit omnino, Nam qui hoc putat, tropicis etiã tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam, ita ut hæc ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata trãlatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam iuuentutem, niueam caniciem, proculdubio fluctus, gemmas, florem, niuem, quia in his rebus non inuenimus, in quas hæc verba aliunde transfulimus, ab istis mendacia putabuntur. Et petra Christus, & cor lapideum Iudæorum. Item leo Christus, & leo diabolus, & innumerabilia talia dicuntur esse mendacia.

Gene. 20

Tropi non sunt mendacia.

Metaphora

Antiphrasis

Iob. 2.

3. Reg. 21.

Quid quod hæc tropica locutio vsque ad eam peruenit quæ appellatur Antiphrasis, ut dicatur abundare quod non est: dicitur dulce quod acidum est, lucus quod non luceat, Parcæ quod non parcant? Vnde illud est in scripturis sanctis, Si non in faciem benedixerit tibi, quod diabolus, ait, domino de sancto Iob: & intelligitur maledixerit. Quo verbo & Nabuthi fidei crimine à calumniatibus nominatum est. Dicitur enim quod benedixerit regi: hoc est, maledixerit. Hi omnes modi locutionum mendacia putabuntur, si locutio vel actio figurata in mendacio deputabitur. Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profecto non solum id quod fecit aut dixit Iacob patri ut benediceretur, sed neq; illud quod Ioseph velut illudēdis locutus est fratribus, nec quod Dauid simulauit insaniam, nec cetera huiusmodi mendacia iudicanda sunt, sed locutiones actionesque Prophetice ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ. Quæ propterea si figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum pie scripturæ querentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant, quare. Quauis quæ alijs locis aperte ac manifeste dicta dicimus, cum ea ipsa de abditis eruuntur, in nostra quodammodo cognitione renouantur, & renouata dulcescunt. Nec videtur discentibus quod his modis obscurantur, sed commendantur magis: ut quasi subtracta desideretur ardetius, & inueniatur desiderata iocundius. Tamen vera non falsa dicuntur, quoniam vera non falsa significantur, seu verbo seu facto. Quæ significantur enim, utique ipsa dicuntur. Putatur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur, dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur. Hoc ut exemplis fiat planius, id ipsum quod Iacob fecit, attende, Hædinus certe pellibus mēbra contexit. Si causam proximam requiramus, mē-

Tropi in scripturis querentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant, quare.

† inuidetur.

tur.